UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Basilea Sacra Sive Episcopatvs Et Episcoporvm Basileensivm Origo Ac Series

Sudan, Claudius

Brvntrvti, 1658

49. Gerardus à Vvippingen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11463

Visual Library

Anno Christi 1514.

GERARDVS à VVippingen.

Basileensis Episcopus. XLIX.

IN ea Noithonum sive Aventicorum valle, quàm de Ogo vocant, duobus circiter milliaribus Friburgo Helvetiorum, fuit olim sedes pervetustæ ac nobilis familiæ Dominorum de VVippens, à quibus oriundus hic Gerardus. Extant hodiéque in Instrumentis proximi illi loco Marsensis Monasterij, olim Præmonstratensis quidem ordinis, sed anno demùm 1580. post eius conflagrationem & ultimi Abbatis mortem, residui reditus multis implicati difficultatibus, auctoritate tandem Apostolica, & rogatu amplissimæ Friburgensis Reipublicæ, fundationi Collegij Societ. IESV applicati sunt;

extant

extant, inquam, in illis Instrumentis haud obscura pii affectus Gerardi huius Episcopi erga dictum monasterium indicia, dum adhuc Lausannensem Episcopum ageret. Postquam enim Lausannensi præfuisset Ecclesiæ, Clemens V. ipsum defuncto Othoni in capessenda Basileensi Insula substituit. Et quamvis Gerardū acceptare tergiversarentur Canonici, quin, palàm voluntati Pontificis repugnarent, Hartmannúmq; Comitem à Nidavv ipsi præponendum, & jam à se electum vellent; ubi tamen viderunt excommunicationis fulmen in sua capita contorqueri, manus dederunt, futuri imposterum in potestate Pontificis & Gerardi Episcopi. Per idem tempus, Novembri mense, anno 1314. à se plurimùm dissidebant Electores Francofurti congregati. Dissidium faciebat, Romanorum Imperatoris Anno Christi 1320.

Ann. Chr. 1320. quæ agitabatur electio, studiis prorsus contrariis. E purpuratis Septemviris Petrus Moguntinus, Balduinus Trevirensis Archiepiscopi, Ioannes Rex Boëmiæ, VVoldemannus Brandeburgicus, Ludovicum Bavarum elegerant. Reliqui tres, Fridericum Austriacum Alberti filium. Hinc divisum rursus Imperium internecinis fœdè discerptum est bellis. Inferiores Rheni Civitates adhæserant Bavaro: superiores & plerique Helvetij Austriaco.

Dum hæc gerebantur, Fridericus matrimonium iniit cum Elisabetha Iacobi Aragonum Regis filia. Frater eius Leopoldus filiam Ducis Sabaudiæ duxit. Nuptiæ anno 1323. post ferias Pentecostes celebratæ sunt Basileæ, ubi ostensa Romani Imperij insignia, lancea cum parte crucis Christi, Corona item & ensis Caroli Magni. Post aliquot annorum bella, com-

commisso prælio, & profligato Austriaco exercitu Fridericus in potestatem Ludovici venit anno 1323. honorificâ captivitate detentus. Nec feliciùs Gerardus Basileensis Episcopus cum Comite Neoburgensi ad lacum, acie contendit, semel iterúmque victus, qui tandem belli satur, quietam mortem obiit, teste Stumpfio, anno 1325. 16. Apr. humatus in templo Cathedrali, infra, Mônichorum sacellum, ubi eius epitaphium adhuc visitur. Sub hoc etiam Episcopo, aucta fuit Ecclesiæ Basileensis ditio: anno namque 1320 Vlricus Comes Pfirtensis & eius coniux Iohannetta, tertiam hæreditatis partem, quam à Comite Berchtoldo de Strasberga acceperant, Gerardo à VVippingen, Basileensi Episcopo transcripserunt, ac brevi pòst, defectu masculæ prolis, extincta est illustris Comitum Pfirtensium familia. *Anno Christi 1320.*